



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Responsio Ad Accusationes Quibus De Mala Doctrina
Accusatur Apud S. Sedem Florentius De Cocq Ecclesiae S.
Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstrat. ... In Libello, Cui
Titulus: Propositiones per Belgium ...**

Cocq, Florentius de

Lovanii, 1693

urn:nbn:de:hbz:466:1-40343


Th

2168


Th. 2168.

D III

- 20 -



EN VIOLA
DE BRUN
MEDITATIONES
DE SVVEN



RESPONSIO
A D
ACCUSATIONES

QUIBUS

DE MALA DOCTRINA ACCUSATUR APUD S. SEDEM
FLORENTIUS DE COCQ

Ecclesiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstrat.
Canonic. in Academia Lovan. Collegii Præ-
monst. Præses, & ibid. S. T. Professor.

IN LIBELLO, CU TITULUS:

Propositiones per Belgium disseminatæ, jussu congregationis
S. Officii Collectæ, atque ad supremum Innocentii XII.
Pont. Max. tribunal delatæ per Theologos Orthodoxæ
fidei, & authoritatis Pontificiæ defensores,



Apud

LOVANIÏ,
ÆGIDIUM DENIQUE

Anno 1693.

RESPONSIONES
AD
ACCUSATIONES

DE MAJORE DOCTRINA ACQUATUR APUD SÆDEM
FLORENTIUS DE COCCO

Edicti s. Michaelis Anversæ Ord. Prætorialis
Censorum in Academia Lovan. Collegii Præ-

torum Prætorum s. Michaelis

Prætorum per Belgium delictorum, nulli congregatione
s. Censuræ, et per s. Prætorum s. Michaelis
Prætorum s. Michaelis delictorum s. Michaelis
delictorum s. Michaelis delictorum s. Michaelis



ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII
ANNO 1833



A C C U S A T I O P R I M A.

Nulla tentatio, quantumvis parva, ab homine superari potest sine gratie supernaturalis auxilio. Parte 3.
Artis. 4.
num. 10.

Textus: nec parva, nec magna tentatio potest ab homine superari, sic ut non peccet. Florentius de Cocq in Principiis totius Theol. pag. 394.

R E S P O N S I O.

Loco citato, intelligo primò doctrinam illam (ut expressè ibidem addo) de tentatione, quæ deliberatè sentitur: non verò de illis, quæ in parte sensitivâ vix exortæ per se evanescent.

Secundò, fateor ibidem Conclusionem 2. & dico expressè in terminis, nos posse variis modis superare tentationem, etiam satis gravem sine Dei gratia, idque juxta illud S. Augustini lib. 21. de Civit. Dei c. 16. Nonnumquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis. Et Epistola 29. aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniæ.

Tertiò, ibidem doceo, quod etsi voluntas possit sine Dei gratia superare tentationem aliquam; numquam tamen ita eam superabit, prout illam superare debet: id est, vel quod in eam tunc sine Dei gratia incidet, vel eandem vincat labendo in aliud peccatum.

Quartò, addidi ibidem, quod illud tale vincere, non sit ita dicendum vincere, quam, ut ait S. Prosper c. 9. Carm. de ingratis. In vulnera vulnere surgat.

Quinto concludo cum S. Augustino loco citato de Civitate Dei, & dico ibidem: Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat. Quod & aliàs, docet idem S. Doctor contra Julianum lib. 5. cap. 8. ad victoriam vitiorum exigens Dei gratiam, Ut non aliâ reprobâ cupiditate, sed Dei charitate vincantur.

Cum verò expressè agam de tentatione, quæ deliberatè sentitur; & consultò in propositione accusatâ addiderim, sic non peccet: satis liquet agere me, & intelligere dictam propositionem de Victoriâ tentationis, quæ sit bona, & sit, sicut oportet: qualem victoriam sine Dei gratiâ negamus cum Sanctis Patribus, & aliis mox citandis.

PROBATIONES DICTÆ SENTENTIÆ.

Sententiam, de qua acculor, probavi ibidem primò ex Scripturâ S. quod Psalmista *generaliter de omni tentatione dicat Psal. 17. & fateatur, in te eripiar à tentatione.* Id est, per Dei gratiam. 2. Quod Apostolus dicat enumeratis variis tentationibus ad Rom. 8. *Sed in omnibus his superamus propter eum, qui dilexit nos.* 3. Quod Matthæi 26. dicat Salvator: *Orate, ne intretis in tentationem.* Item, quod in oratione suâ orare jufferit, *Et ne nos inducas in tentationem.* Matth. 6. oratio autem sit evidentissima gratiæ Dei testificatio, juxta S. Augustinum mox citandum.

Secundò, probavi dictam sententiam ex Sacrosanctis Ecclesiæ Conciliis, & Summis Pontificibus. 1. Quidem ex testimonio Innocentii in Epist. 25. ad Concilium Carthagin. apud Augustinian. 91. post medium, ubi ita scribit: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisquevitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Ex dicto Innocentii testimonio, duo Colligere hîc liceat: unum, quod divinum auxilium, seu remedium ad vincendos humanos errores, sive tentationes, vocet Pontifex *quodidanium*: quale remedium non esset aliàs agnoscendum, si sine Dei auxilio *leviores* tentationes superari possent: cum non pauci per multos etiam dies non sentiant tentationes graviore: qui consequenter juxta aliorum sententiam non indigerent ad hoc auxilio, seu remedio jam dicto.

Alterum est, quod dicat Pontifex, *Neesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Id enim in obvio sensu nil aliud importat, nisi quod homo, qui *quotiescumque* vincit, per Dei auxilium vincat; quo destitutus ipse à tentatione vincatur.

Addidi testimonium Concilii Arausici Can. 9. dicentis: *Divini muneris est, cum & recta cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitia continemus.* Quo testimonio idem planè innuit, quod mox Innocentius: dicendo enim *divini muneris*, id est, gratiæ divinæ, donum esse, cum & recta cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitiâ continemus: idem dicit, ac *toties* divinâ gratiâ nos adjuvari, *quoties* pedes nostros ab injustitia, & tentationibus ad illam excitantibus continemus.

Enimverò, si vel *minimam tentationem* sine Dei gratiâ vinceremus, jam illud non esset divini muneris, sed naturæ virium: quod tamen *divini muneris* esse generaliter asserit Synodus Arausicana,

Citavi etiam (sed non allegando) Canonem 14. ejusdem Concilii, quem hic addo, & sic habet: *Nullus miser de QUANTACUMQUE MISE-*

RIA liberatur, nisi qui Dei misericordiam prævenitur. Dum dicit Synodus de quantacumque miseria, etiam levem tentationem indubiè comprehendit.

Idem testatur Celestinus in Epist. 1. Can. 9. adferens verba Zozyimi Papæ, & dicens: Quod ergo tempus ait (Zozymus) Interuenit, quo ejus non egeamus auxilio? IN OMNIBUS IGITUR ACTIBUS, COGITATIONIBUS, MOTIBUS, adjutor, & protector orandus est. Superbum est enim, ut QUIDQUAM sibi natura humana præsumat; clamante Apostolo, non est nobis Colluctatio &c. Ecce in omni cogitatione, motu, & actu adjutor, & protector orandus est Deus; & consequenter ad illud requirendum Dei protegentis auxilium: nam ut ait S. Augustinus Epistolâ 107. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere, quod oramus. Et rursus Epistolâ 89. Frustra enim rogantes Deum dicimus, ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostrâ positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere. Oramus autem Deum indubiè ad omnes tentationes, etiam leves superandas.

Tertiò probari potest ex Sanctis Ecclesiæ Patribus. Primò ex S. Cypriano serm. 7. de Oratione Domini, ubi ait: Quando rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè, atque arroganter ALIQUID assumat.

Sequitur S. Augustinus dicens l. de perfectione justitiæ cap. 21: Plane quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed solâ lege acceptâ, humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito. Notari hîc potest ad dictum jam Augustini testimonium, me consultò in propositione dixisse hominem sine Dei gratiâ non posse superare ullam tentationem, sic ut non peccet.

Addi potest S. Gregorius lib. in Psalmum 3. poeniten., in illud, ne derelinquas me Domine Deus meus. Illos, inquit, procul dubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit; necessariò enim sequitur, ut OMNI tentationi sit subditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.

Et S. Bernardus sermone in octavam Paschæ: sic habet: QUOTIES ergo tentationi resistis, QUOTIES vincis malignum, noli propriis tribuere viribus; noli in te, sed magis in Domino gloriari.

Imò S. Ambrosius Epistola 84. docet, id pertinere ad veram & Christianam humilitatem, quod in omni actione, & tentatione divinum gratiæ auxilium invocemus. Audi ejus verba: Sicut enim alienus est à numero fidelium, & à sorte Sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, ita

extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur: quasi homo auxilio Dei in QUADAM actionum suarum parte egeat, in QUADAM autem non egeat: sitque ullum tempus, ullumve momentum, quo perniciosum illi esse non possit, si ab eo Spiritus Sanctus defuerit.

Neque dici potest, prædicta Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum testimonia, dum ad quamvis tentationem superandam ibi exigunt divinæ gratiæ auxilium, intelligi debere, de generali Dei concursu, ac speciali providentiæ modo à divinâ per Christum gratiâ distincto: nam cum conflet prædicta Concilia, ac S. Patrem Augustinum in hâc causâ egisse contra Pelagianos (qui indubiè ejusmodi auxilium non negabant) nihil, aut parum contra illos aliâs confecerunt.

Nec potest dici (loquimur cum Contensonio nobiscum hîc sentiente libro 8. dissert. 2. cap. 1. de necessitate gratiæ, speculat. 3. confectario 1.) Summos illos Ecclesiæ Catholicæ Pastores loqui de tentationibus gravibus, ad quas auxilium Dei necessarium esse definiunt. Non inquam, id potest dici, tum quia universaliter de omni tentatione loquuntur; nec luculentas Conciliorum, Romanorumque Pontificum definitiones licet pro humanæ rationis arbitrato, exceptionibus novis, & à Patrum traditione desertis eludere. Tum, quia ad vincendam quamcumque peccati in tentatione miseriam, quotidianis remediis nos indigere docent: levis autem tentatio est quædam miseria: quotidianum etiam remedium non est necessarium, nisi ad quotidianas tentationes, quæ utique non sunt in omnibus quotidie graves.

Ob hæc, & alia S. Scripturæ, ac SS. Patrum testimonia, meritò docet Eminentissimus Cardinalis Bellarminus controvers. l. 5. de gratiâ & libero arbitrio cap. 7. in terminis NON POSSE SÔLIS NATURÆ VIRIBUS ULLAM VERAM TENTATIONEM SUPERARI. Et in decursu ejusdem capituli expressè scribit: MAGIS CONSENTANEE AD SCRIPTURAS, ET PATRES LOQUUNTUR, QUI DICUNT NULLAM TENTATIONEM SINE DEI AUXILIO VINCI POSSE.

Mirari hîc lubet, quomodo Accusatores nostri hanc tanti Cardinalis apertam sententiam audeant rogare per Belgiâ salutem, & fufum Jesu Christi sanguinem à Sanctâ Sede condemnari.

Bellarminum sequitur Pater Gabriel Vasquez. 1. 2. q. 109. a. 2. disp. 189. per totam: qui & signanter ait cap. 4. *Mibi verò multò probabilius, & rationi consentaneum visum est, indigere hominem aliquo auxilio gratiæ Dei per Christum distincto à dono Creationis, ne minimæ tentationi succumbat, & ab eâ superetur.* Citat insuper ille Gregor. Arim. in 2. dist. 28. q. 2. a. 1. Abulensem in caput 15. Matth. q. 178. Capreolum in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. ad 3. Marsilium 1. q. 20. a. 3. concl. 4. & 5.

Addi etiam potest Petrus de Soto, qui instruct. Sacerd. lectione 16. de pœni-

(7)
pœnitentiâ, ita scribit. Reverà docet nos CERTA FIDES, non nisi novo gratiæ Dei auxilio ullam tentationem nos posse vincere, aut ullum bonum opus efficere.

ANIMADVERSIO AD DICTAM PROPOSITIONEM.

Videtur damnari per 30. Baii: non soli fures ii sunt & latrones, qui Christum Viam & Ostium Veritatis, & Vitæ negant, sed etiam qui docent tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjuto resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.

R E S P O N S I O.

Objectionem illam mihi met ipsi loco citato proposui, & respondi idem, quod scribit Pater Turrianus è Soc. Jesu opusc. 15. cap. 3. §. 1. ubi ait: Notandum id, quod notavit Pater Vasquez, nempe Illustrissimum Bellarminum fuisse Lovanii eo tempore, quo prædicta Bulla promulgata fuit. Et tamen ipse docuit (Lib. 5. de Grat. & Libero Arb. c. 7.) Nullam tentationem posse vinci sine gratiâ: quod non diceret, si propositio illa 30. damnaret suam opinionem: In alio ergo sensu damnatus est Bajus. Item cum Bellarminus doceat, posse viribus naturæ fieri aliquod opus bonum, tamen non utitur auctoritate prædictæ Bullæ: quod tamen faceret, si agnosceret sibi favere. Præterea ut testatur P. Vasquez loco citato (in 1. 2. Disp. 190. cap. 18. n. 179) Cardinalis Toletus sentiebat, nullam tentationem posse vinci, aut vitari sine gratiâ. Et tamen ipse auctoritate Pontificis Gregorii XIII. missus est ad illam Bullam promulgandam, & componendas lites Lovanii exortas circa illas Propositiones Baii.

Lubet audire ipsum P. Vasquez loco citato, qui objectâ sibi hac propositione, Non solum fures hi sunt, & latrones &c. responderet eam minime obesse dictæ opinioni nostræ accusatæ, eo quod eandem doceat Bellarminus: At ille (inquit) rectè noverat prædictam damnationem, imo & occasionem illius, nam & ipse Lovanii fuit eo tempore, quo contentiones inter Doctores exortæ fuerunt; & Romæ, cum prædicta Bulla edita & confirmata fuit; nihilominus, neque contra opinionem, quam docet de victoriâ tentationum, quidquam ex hac Bullâ sibi objicit; neque, cum docet posse fieri aliquod bonum opus ex propriis viribus sine auxilio gratiæ, auctoritate hujus Bullæ id confirmat: sciebat enim optimè, eam ad hoc nihil roboris habere; cum tamen hujus meminerit, & aliquas Propositiones in illâ damnatas adduxerit. Adde

Fran:

Franciscum Tolet. nostræ Societatis Religiosum, & postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Illustriss. cum quo de hac re conveni, dum essem Romæ, in ea fuit sententiâ, quod NULLA TENTATIO, ETIAM MINIMA, sine auxilio gratiæ per Christum vinci possit, aut vitari sine peccato: & tamen ipse autoritate Apostolicâ Greg. 13. Lovanium missus est ad componendas lites de hac re inter Theologos, & ut curaret prædictam Bullam ab omnibus submissè recipi: sciebat igitur nihil suæ opinioni prædictam damnationem adversari.

Præterea docet dictus author ab ipso Toletio Bullæ promulgatore edoctus & informatus, quod omnes Bani Propositiones non eandem mereantur Censuram; & aliquas earumdem solummodò damnari ob rigidum iudicium, sive nimis atrocem Censuram, quâ aliorum opiniones criminabatur: quod si verum, & fides Vasqueziõ adhibenda, meritò hanc Propositionem ita condemnatam fuisse concludimus; tum ob atrocem Censuram, vocando contrariæ sententiæ Authores, fures & latrones: tum, quod eâ condemnatione non obstante, eandem opinionem expressè tradat Toletus ipsius Bullæ promulgator; & Bellarminus de vi Bullæ optimè instructus.

Sed ultra jam dictam responsionem, expressè addidi in solutione argumenti illius nobis objecti, quod dicta propositio, *Non solum fures & latrones &c.* non tantum condemnata sit ob dictam censuram acerbiozem, sed & addidi, quod sit in se falsa: cum possit homo sine gratia tentationi resistere, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur, puta succumbendo alteri tentationi. Undè & consultò in conclusione additum est, sic ut non peccet.

De cætero, cum Accusatores nostri, nos hic & alibi insument Bajaniismi & Jansenianismi; adeoquæ ut constitutionibus summorum Pontificum repugnantes (quâ fide & intentione, non iudico) hinc contra eosdem profiteor, nos, & scholam nostram, omnes Apostolicæ Sedis constitutiones debitâ submissione revereri; & nos, ac nostra omnia illius iudicio plenè submittere.

A C C U S A T I O I I .

Parte 3.
Articulo 4.
num. II.

Nihil in S. Augustino familiarius, nisi hominem ad omne opus moraliter bonum exigere speciale Dei auxilium. Et additur, ita in terminis Florentius de Cocq in princip. totius Theolog. pag. 381.

Animadversio: eadem videtur cum 65. Bajana supra relata". Scilicet hæc, *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

RES-

R E S P O N S I O.

Propositionem illam mihi objectam probavi ibidem primò ex eo, quod ad omne opus moraliter bonum requiratur relatio (saltem virtualis) illius operis ad Deum tamquam ultimum finem; quæ relatio fieri debet per amorem, seu charitatem aliquam saltem latè dictam, juxta responsionem ad accusationem tertiam jam subsequenter; quæ charitas, sive amor non est, nisi ex Dei gratiâ.

2. Quod omne opus moraliter bonum necessariò incipiat à cogitatione, quâ cognoscitur, quid faciendum sit ob dictum finem ultimum; quæ cognitio non est, nisi ex Dei gratiâ, juxta illud Concilii Milevitani Can. 4. *Utrumque donum Dei est, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Donum utique Dei speciale, sive gratia; non tantum generale quoddam, quale admittebat Pelagius.

3. Quod in Conc. Diospolitano, Pelagius coactus sit dicere, & profiteri, gratiam Dei ad singulos actus dari.

4. Quod Cælestinus Pontifex epistolâ ad Episcopos Galliæ can. 9. dicat omnem sanctam cogitationem, pium consilium, omnem denique bonæ voluntatis motum à Deo esse.

5. Addidi Concil. Arausicanum, quod can. 22. docet, hominem de suo non habere, nisi mendacium, & peccatum: cujus sensum explicuimus sectione quartâ subsequenti.

Dixi in propositione mihi objectâ, *nihil in S. Augustino esse familiarius*, nisi hominem ad omne opus moraliter bonum exigere speciale Dei auxilium; quod & ostendi ibidem parere primò ex omnibus S. Augustini scriptis contra Pelagianos, in quibus nihil operosius inculcat, nisi gratiam Dei ad omne opus verè moraliter bonum, esse necessariam.

Signanter tamen ex eodem S. Patre adduxi locum illum ad id Joannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* In quem Apostoli locum ita scribit tractatu 81. in Joannem: *ne quisquam putaret, SALTEM PARVUM aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum; non ait, quia sine me PARUM potestis facere; sed NIHIL potestis facere. Sive ergo PARUM, sive MULTUM, sine illo fieri non potest, sine quo NIHIL fieri potest.*

Ad quem Apostoli locum, uti & ad illum S. Pauli 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est:* reflectens Contensonius loco supracitato speculat. 2. ita differit, & nos cum ipso: *Quis est ille tam subtilis Dialecticus, qui ALIQUID inveniat, ubi veritas NIHIL esse definivit? Bonum honestum morale nonne est*

B

aliquid?

aliquid? Utiq̄ue aliquid est, cum Bonum sit proprietas entis, & Bonitati entis adjiciat etiam Bonitatem virtutis & Honestatis. Ergo si bonum istud sine Christo est, non verè dixit veritas: sine me nihil potestis facere.

Addi potest locus ejusdem S. Patris Augustini L. de Hæresibus cap. 88. ubi de Pelagianis ita scribit: Illam verò gratiam Dei, sine quâ NIHIL boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in Libero Arbitrio &c. Quos postea refellit idem Sanctus Doctor.

Et ferm. 13. de verbis Apostoli contra Pelagianos dicentes, gratiam Dei quidem dari, ut facilius operemur, ita scribit: Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus Sancti. Prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem, illo non adjuvante, liberâ voluntate, sed malè.

Cum verò juxta S. Augustini Doctrinam, gratia Dei consistat partim in illustratione intellectûs, partim in pio motu voluntatis; hinc docet idem S. Pater, nec ad similem intellectus illustrationem, seu piam cogitationem, nec ad talem pium voluntatis motum perveniri posse, nisi per Dei gratiam. De piâ cogitatione ita scribit lib. 2. ad Bonifac. c. 8. Videant (Pelagiani) quid respondeant dicenti Apostolo, non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. COGITARE, ait, aliquid, utique bonum.

De pio verò voluntatis motu ita scribit idem S. Doctor lib. 1. ad Bonifac. cap. 3. Nec potest homo ALIQUID BONI VELLE, nisi adjuvetur, ab eo, qui malum non potest velle. Huc etiam spectat illud ejusdem S. Patris L. de Corr. & grat. c. 11. ubi ait: Liberum Arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem NIHIL EST, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.

Alia S. Patris Aug. loca, eaque innumera prætereo, dicendo solummodo cum P. Valquez cap. 6. loco suprâ citato. AUGUSTINI SCHOLA HANC EANDEM NECESSITATEM GRATIÆ AD SINGULA OPERA BONA MORALIA DOCET. Qui & addit, quod quamvis nullus esset ex Patribus commemoratis (pura Augustinum præcedentibus) quem pro hæc sententiâ de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia Scholastici Doctores allegare possent; IN UNO SOLO AUGUSTINO; EJUSQUE SCHOLA suæ opinionis præsidium lubenter collocarent, eumque sibi sufficere meritò arbitrarentur; quod unicus sit, qui, dum agitur de necessitate gratiæ, sicut Sol inter reliquos præfulgeat; cujus quidem Doctrinæ egregium testimonium & commendationem, in Epistolâ primâ Cælestini ad Episcopos Galliæ exarata habemus. Sunt autem pœnè innumera hujus Patris testimonia, quibus gratiæ necessitatem ad singula opera bona moralia adstruere videtur Augustinum autem secuti sunt, & apprimè interpretati præclari viri, Doctrinæ ipsius studiosissimi, quorum testimonia inferius etiam referemus.

S. Au-

S. Augustino Magistro pro confirmatione ejusdem sententiæ addidi S. Prosperum carm. de ingratis cap. 36. ubi ita canit.

----- Satis est opera omnipotentis

Cernere, & authorem cunctorum nosse bonorum,

Quo sine NIL RECTI mens inchoet.

Et rurlus cap. ult.

----- Gratia Christi est,

Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,

Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur:

SI QUID ENIM RECTE GERIMUS, DOMINE auxiliante

Te gerimus, Tu corda moves &c.

Pro eadem nostrâ sententiâ citat P. Vasquez loco supra citato sequentes Authores, Albertum in 2. dist. 28. a. 1. ad 6. D. Thomam. q. 24. de veritate. a. 14. Altiſiodorensem in summâ lib. 2. tr. 11. cap. 1. q. 4. Marsilium, Alenssem, Gersonium, Gregorium Ariminensem, Abulensem, Alphonsum à Castro, Dionys. Carthusianum, Catharinum, Clichtovæum, Aretinum, Casaliolum, Jacomellum, Pantussam, Capreolum, Dezam Archi-Episcopum Hispalensem, Franciscum Romæum Generalem Ord. Prædicatorum, dicentem, hanc opinionem esse Orthodoxam Patrum Doctrinam.

Idem dicit gloriosus Martyr Roffensis scribens contra articulum 36. Lutheri, ubi ait de hâc nostrâ sententiâ: Hoc dixi propter Patres: quorum sententiam sequi malui, quam Scholasticorum, cum in hâc re mutuo sibi pugnent. Patres enim asserunt, NEMINEM POSSE QUIDQUAM BONI VELLE SINE SPECIALI DEI AUXILIO, nec sufficere generalem illum influxum: nonnulli contra Scholastici sic contendunt hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio benè moraliter agere, & bonum facere posset, non solum ex genere, verum etiam, quod debitis undique circumstantiis ornatum sit. At si Scholasticorum argutiam adversus Patres admittamus, sequetur etiam, ut absque hoc auxilio Pharaò, quantumvis indurati cordis fuisset, etiam hi, qui traditi fuerunt in reprobam sensum, potuissent bene moraliter agere. Quod mihi sanè credibile non est: cum non solum quantum ad gratiam gratum facientem, verum etiam auxilio Dei speciali reor eos fuisse destitutos.

Addi potest Petrus de Soto lib. de Institut. Sacerdotum Lect. 16. de Poenitentiâ, ubi ait, pertinere ad certam fidem, quod homo non possit ullum bonum opus morale efficere sine gratiâ.

Adeò ut meritò dicat P. Vasquez loco supracitat. cap. 2. n. 10. Multò plures Scholastici Doctores (ut interim taceam antiquos Ecclesiæ Patres) affirmant, NULLUM OPUS MORALE EX OMNI CIRCUMSTANTIA BONUM FIERI POSSE AB HOMINE SINE AUXILIO GRATIÆ.

Et Contensonius loco etiam antè citato ait, vereres omnes Thomistas

pro hâc nostrâ stare opinione: & dilucidè vendicat pro hâc nostrâ sententiâ ipsum D. Thomam, quem & nos pro nostrâ sententiâ adduximus loco ante-citato.

Addidimus & pro ratione dictæ opinionis, quod rogemus à Deo spiritum cogitandi & agendi, quæ recta sunt; & generaliter opera moraliter bona: oratio autem, juxta S. Augustinum, sit aperta gratiæ testificatio.

Denique addidimus, *Quod omnia opera moraliter bona, saltem remotè, disponant ad gratiam; quatenus remouent impedimenta, quibus positis gratia non daretur: ex quo consequitur, quod si sine gratiâ opera illa moraliter bona fieri possint, nos ipsos ad gratiam disponamus actu naturali.*

Sed accusatores nostri iterum hic accusant nos consentire cum Baio, cujus hæc Propositio num. 28. proscripita est ab Ecclesiâ: *Pelagianus est error dicere, quod Liberum Arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum.* Item hæc 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

Item signanter hæc num. 65. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis arbitrii bonus, siue non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

Ad hæc respondi ibidem cum P. Turriano Soc. Jesu opusc. 15. cap. 3. §. 2. ubi rogat, *an sit contra bullam (contra Baium) uti testimoniis Conciliorum, Scripturarum, & Patrum, ad probandum non posse fieri aliquod bonum opus sine gratia?* Et respondet: *Non defuerunt, qui existimarent, esse contra prædictam bullam, uti testimoniis Scripturæ, SS. Patrum, ad probandum non posse solis viribus liberi arbitrii fieri bonum opus morale, & probant: quia citatâ Bullâ damnata est mens Baii, qui censuram tribuit opinioni illi asserentium posse fieri aliquod bonum opus sine gratiâ. Et tamen, si Concilia, & Patres contrarium docuissent, opinio illa esset censurâ digna: Sed multi viri hujus ætatis sentiunt contrarium, nempe non esse contra prædictam Bullam uti testimoniis Conciliorum, & Patrum ad probandum, non posse fieri bonum aliquod opus morale sine gratiâ.*

Ita ille. Et meritò, cum Bellarminns optimè à Toletò de vi ejusdem Bullæ instructus, (quamvis contrariam nobis sententiam sustineat) nequiquam tamen illam suam opinionem per dictam Bullam voluerit confirmare: sciens (ut antè notavit P. Vasquez) Bullam illam ad confirmationem suæ sententiæ non habere robur.

Undè & ipse P. Vasquez, qui eandem nostram sententiam operosè confirmat, testatur, eandem minimè per dictam Bullam lædi: qui tamen (ut ipse quidem testatur) didicit Romæ à Toletò, quid eadem Bullâ proscriberetur.

Ref-

Respondimus interim ad primam propositionem supra objectam, quod meritò illa sit proscripta, cum falsum sit, liberum arbitrium non posse ullum vitare peccatum; cum possit vitare quodlibet, sed per Dei gratiam.

Ad alteram respondimus eandem, etiam eandem esse falsissimam; cum plurima bona naturalia, hoc est, ex solis naturæ viribus orta, sint agnoscenda: maximè, cum omnis Dei creatura sit bona. Deindè advertendum est, to *solis*, in dictâ propositione excludere etiam generalem Dei concursum.

Ad tertiam denique propositionem objectam respondimus, vel illam damnatam esse propter motivum à falsâ doctrinâ distinctum, puta ob acerbiorum censuram: vel etiam (juxta alios) Authorem istius Propositionis intellexisse per gratiam, *gratiam justificantem*, ut patet ex aliis Propositionibus adjunctis & condemnatis, quæ dicunt, *omne quod agit peccator, peccatum esse: quod vera Charitas non possit consistere cum statu peccati*; falsum autem est, quod sine tali gratiâ, id est, *justificante*, non detur bonus usus liberi arbitrii: cum & in peccatoribus bona opera possint inveniri.

Quibus omnibus ritè perpensis, mirum iterum est, accusatores nostros opinionem hanc, tot Sanctorum Patrum & præcipuorum Theologorum testimoniis comprobata, & suffultam, ut singularem nobis affricare: multò magis, quod eandem à Sanctâ Sede per Belgii salutem, & fusum Jesu Christi Sanguinem petant condemnari.

A C C U S A T I O III.

Gentiles, etsi nullo pravo sine Virtutum suarum actus maculassent defectu tamen relationis debitæ asserimus eosdem deliquisse. Florentius de cocq in Thesis Antverpiæ defensis 10. Martii 1677. Thesi 13. Parte 3.
Artic. 5.
num. 3.

R E S P O N S I O.

Doctrinam hanc tradidi hucusque secutus S. P. Augustinum cum tota Augustinianorum Theologorum Schola; adèd ut rursus mirum sit, accusatores meos, me solum ac quosdam alios hujus Academiæ Theologos hic accusare: studiosè suppressis illis, qui contentiosius hanc opinionem hucusque defendunt cum suo S. Augustino.

Cum enim Julianus Augustino Stoicorum, aliorumque Virtutes abneganti objecisset, an ergo si gentilis nudum operiret, esset peccatum: Respondit S. Doctor in hunc modum lib. 4. Julian. cap. 3. *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum*

dum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.

Idem in accusato articulo dico, & volo intelligi cum S. Augustino.

Pro quo profiteor in primis cum S. Theologicâ Facultate Lovaniensi, quæ à paucis abhinc annis per deputatos suos S. Sedi exhibuit inter alia sub titulo de virtutibus Theologicis hoc dogma num. 5. *omne opus, ut plene bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate (Scilicet latè dicta, seu bonâ voluntate, de qua ad accusationem subsequentem) procedere, ac per ipsam referri in Dominum Deum: nec enim, teste Augustino, fructus est bonus, qui de radice charitatis non surgit.*

6. *Attamen relatio illa per charitatem perfectam fieri non debet: sufficit eam fieri per charitatem imperfectam.*

7. *Sed neque necessaria est relatio ex charitate actuali, sive ex charitate, super quam fiat actualis reflexio.*

8. *Hæc namque continua in operibus nostris reflexio est multis hujus vitæ distractionibus impossibilis.*

9. *Sufficit ergo, quod opera nostra per charitatem virtuales in Deum referantur.* Hactenus per suos deputatos S. Facultas Theol. Lovaniensis.

Quod verò doctrina hæc eadem cum nostrâ accusatâ, probata fuerit S. Sedi, testantur ipsi deputati fide dignissimi. Certè Amplissimus ac Eximius D. Martinus Steyaert Vicarius Sylvæduc. illorum deputatorum unus, post legationem suam Romæ feliciter absolutam in suis Aphorismis publicè editis, Thesisibus &c. Hanc ipsam doctrinam constanter docet, ut & alii de hac Academia Doctores.

Lubet audire ejus verba, ita enim scribit Aphorism. p. 2. Disputatione 31. *De relatione operum in Deum: dicemus breviter, quæ Schola hæc Lovaniensis jam pridem tenet, & non ita pridem per deputatos suos (quorum ipse unus) apud Sedem Apostolicam est professâ. Tenet itaque, ut non peccetur saltem venialiter, dum opus aliquod, seu externum, seu internum deliberatè ponitur, deberi illud referri in Deum ex affectu charitatis, seu amoris Dei casti: qui tamen amor non sit necessariò charitas strictè & propriè dicta; neque relatio illa necessariò actualis, cum sufficiat Virtualis. Referri autem Virtualiter, ex tali dilectione censetur, quod ex virtute ejus, quæ post actum manere solet, profluit, uti collectio herbarum procedit ex vi & virtute actus, quo quis prius sanitatem per pharmaca obtinendam intendit.*

Opus interim, quod sic non refertur, non ideo peccatum vocatur, sed sæpè est moraliter bonum, ut alibi suo loco ostensum est: & nisi hoc admisissent deputati jam dicti, nuntiabatur ipsis damnandam fuisse hanc scholæ suæ sententiam.

Peccat igitur, qui actum suum non refert: sed cum actus referri potuit, signum est non esse malum. Unde, si actum ipsum, malum fortasse, vel peccatum

vocant

vocant quandoque veteres, non tam ipsum actum considerant, quam defectum relationis illi conjunctum: quod nec etiam celarunt (deputati) ubi ad distinctius loquendum premebantur.

Sic Augustinus, qui opera Infidelium ad Deum non relata accusaverat, dum pressus est à Juliano, an igitur, si infidelis nudum operit, opus illud peccatum dici debeat, disertè respondit, non opus ipsum, quod est operire nudum, peccatum esse, sed de hoc non in Domino gloriari, seu ad aliud, quam ad Deum hoc referre.

En ipsam, & eandem opinionem, de qua hic accusamur. Quid enim aliud umquam diximus, aut docuimus? Quia tamen propositionem nudè sine nostrâ explicatione, aut restrictione (quam tamen ubique satis explico, aut restringo) accusare solent Accusatores nostri, Cogor ipse eandem hic breviter proponere.

De Doctrinâ illâ ago ex professo in Principiis Theol. p. 1. fol. 198. edit. primæ, & fol. 219. edit. secundæ, ubi sectione 4. dico inprimis, quod omnis actus moralis ut sit Bonus, debeat referri ad Deum tamquam ultimum finem; quod confirmo ibidem ex S. Scripturâ, SS. Ecclesiæ Patribus, ac ipsa ratione. Idem dixit S. Facultas Theol. Lov. S. Sedi per suos Deputatos teste Amplissimo D. Martino Steyaert ibi supra.

2. Sectione 5. doceo ad talem relationem non esse satis, quod opus aliquod in Deum sit referibile: negat enim illud expressè S. Augustinus; cum operire nudum (de quo in casu cum Juliano) sit indubiè ad Deum referibile: de quo tamen non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum, ut ait S. Doctor.

3. Sectione 6. nego inde sequi (ut alii quidem opponunt) omnia opera Infidelium esse peccata; cujus contrarium multis doceo ex professo p. 2. fol. 117. edit. 2. etsi enim Infideles verâ fide careant, tamen juxta S. Augustinum subinde à Deo illustrari potest eorundem intellectus, ac piè moveri eorundem voluntas, & bene moraliter ita operari, ut dilucide ex S. Augustino ostendit P. Henricus De Noris in vindictis suis Augustinianis C. 3. §. 4. S. Romanæ universalis inquisitionis Qualificator &c.

Imo, si juxta aliorum placitum, omnibus etiam Infidelibus semper adsit sufficiens Dei auxilium: quid obstat, quo minus admittatur Infideles à divinâ gratiâ subinde excitari & adjuvari ad actus moraliter bonos?

4. Addo in super, & dico Conclusionem 4. ibidem: ex eo, quod peccet ille, qui opus aliquod ad Dei gloriam referre negligit, non sequitur continuo, illud opus esse peccatum propriè dictum; quod deinde exemplo S. Augustini jam dato ostendo, dum ait, non per se ipsum factum, quod est operire nudum, peccatum esse, utpote secundum se rectæ rationi conforme: sed quod in eo opere non in Domino gloriari, solus impius neget esse peccatum.

Rem

Rem illam simili exemplo declaravi ibidem, & dico; Pictor quispiam obligatur suas picturas omnes referre in Regem: pingit v. g. picturam artificiosissimam, ita tamen, ut in Regem eam non referat: etsi peccet pictor ille hoc negligendo, pictura tamen non ex eo desinit esse artificiosa, nec defectus ille relationis picturam inficit. Sic voluntas nostra, quæ amorem creaturæ ad amorem Creatoris dirigere obligatur, illudque negligit, si pingat, id est, si exerceat opus aliquod de se bonum, puta operire nudum, non ideo malum est, aut peccatum, nec defectus ille relationis opus illud inficit, sed solam voluntatem, opus ad debitum finem referre negligentem, à qua voluntate alter denominatur peccare.

Quid hic rursus aliud dico, aut doceo, nisi quod docet S. Facultas Theol. Lovan. per suos deputatos, imò quàm expressè doceat S. Augustinus?

Quod verò ibi supra dicam, non esse opus illud peccatum propriè dictum, ideo dico, ut innuam veteres tale opus in Deum non relatum, subinde vocare *peccatum*, qualiter etiam tale opus vocat ibi S. Augustinus, sed impropriè ob talem defectum operi adjunctum: vel etiam *peccatum* dici posset, si opus tale sumeretur pro complexo ex tali opere, & defectu relationis debitæ: dum malum est ex singulis defectibus, bonum ex integrâ causâ.

Denique concludo, quod Gentiles quidem non peccent ponendo actum illum per se, & ex officio bonum, v. g. *operire nudum*, quod est secundum se rectæ rationi conforme; sed peccent actum illum in Deum non referendo. Bonum ergo est officium, quod Gentilis exercet; sed defectus relationis debitæ, peccatum est juxta S. Augustinum dicentem lib. 4. contra Julianum c. 3. *quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia præcipit; et si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Et rursus hinc monet S. Doctor, & ait ibidem: *noveris itaque, non officii, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

Et hanc dictam huc usque doctrinam, esse ipsam doctrinam S. P. Augustini, disertè, ac luculenter tradit P. Henricus de Noris loco supra citato.

Eandem sententiam multis continuò annis solidè ac operosè semper propugnavit in publicis scriptis, Thesibus, & disputationibus Illustrissimus Pater Le Drou, tum hic in Academiâ Lovaniensi, tum in Abbatia Parchensi: Quos Romæ modò existentes consulere possunt accusatores nostri.

Eandem

Eandem quoque sententiam secuti sunt Eximii PP. Christ. Lupus, Fervacques, Pauwens, Clenarts, Desirant, Parys, Melyn, ac demum tota PP. Augustinianorum Schola.

ANIMADVERSI O AD DICTUM ARTICULUM.

DICTÆ opinioni apponunt Accusatores nostri hanc animadversionem, & dicunt: *Dum Lovanienses Hi, uti & Macarius Havermans aiunt, sufficere relationem virtuales, per hanc intelligunt reverà actuales perpetuas, sed remissam, & sine reflexione, per cujus defectum eam distinguunt à relatione, quæ ab ipsis actualis dicitur: adeoque multum absunt Theologi isti à sententiâ S. Thomæ.*

R E S P O N S I O.

QUID per Relationem illam virtuales intelligat Sacra Facultas Theologica Lovaniensis per suos Deputatos; antea dedimus. Quid verò per relationem illam virtuales intelligatur, & ad illam requiratur juxta nos, dixi loco supracit. sect. 4. scilicet, ut ex actuali præteritâ censeatur remanere virtus ea, per quam censeatur opus ad Deum referri: adeoque, quod in agendo debeat virtus actualis intentionis præteritæ remanere.

Nec multum moramur, quomodo demum, hanc virtuales relationem vocent: quod magis ad Philosophum, quam ad Theologum dignoscitur pertinere.

Addidi tamen, quod de simili virtuali relatione docet Bellarminus l. 5. de justificat. c. 15. ex S. Bonav. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. *Non sufficere, ut opus virtutis referatur in Deum, si quis ad initium anni vel mensis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia sua opera futura in Deum: sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare, quod postea faciendum est, referatur in Deum. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt.*

Denique consului cum Eximio D. Estio, in Eplst. 1. ad Cor. c. 10. dicente, *Quo magis autem ejusmodi intentio virtute maneat in actionibus nostris quotidianis, frequenter actu renovanda est.*

ACCUSATIO QUARTA.

Parte 3.
Artic. 5.
num. 2.

EA est Charitatis necessitas, ut non immeritò dicatur vita omnium actioꝝ humanarum, quæ sine eâ mortuæ sunt, & peccati labe aspersæ. Debent enim in Deum referri, quod non fit sine Charitate. Idem in thesibus, Antverpiæ defensis 15. Julii 1689. Thesi 2.

RESPONSIO.

PER Charitatem hîc intelligo cum totâ Scholâ Augustinianâ, charitatem imperfectam, sive omnem amorem, seu affectum Dei propter se; non verò laudabilem illam charitatem, quæ sit Dei cum homine amicitia; quæ cum statu peccati mortalis consistere non possit &c.

Sic accepit eandem charitatem S. Facultas Theologica Lovaniensis, quæ jam pridem per Deputatos suos hanc opinionem (de qua accusor) S. Sedi obtulit examinandam, & professæ est sub titulo de Virtutibus Theologicis num. 2. in hunc modum: *Vocem, CHARITAS, tametsi aliqui Scholastici accipiant pro solâ illâ Dei dilectione, quæ est nostra cum eo per peccatorum remissionem amicitia: S. Augustinus, & alii Patres eam sumere solent pro quavis supremi boni castâ propter se dilectione: QUASI VERO, inquit Augustinus, ALIUD SIT BONA VOLUNTAS, QUAM CHARITAS.*

Hinc idem S. Doctor distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam . . .

Itaque charitas & cupiditas generatim sumptæ non sunt aliud, quam bona, & mala voluntas . . . Unde & Concludit.

Omne opus, ut plenè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere. ac per ipsam referri in Dominum Deum: NEC ENIM teste Augustino, FRUCTUS EST BONUS, QUI DE RADICE CHARITATIS NON SURGIT.

Attamen ista relatio per charitatem perfectam fieri non debet, sufficit eam fieri per charitatem imperfectam.

Idem post deputationem suam scribit Amplissimus D. Sreyaert in Aphorif. loco ibi supra dicens: *tenet itaque (Schola hæc Lovaniensis per suos deputatos S. Sedi doctrinam suam profitens) ut non peccetur saltem venialiter, dum opus aliquod, seu externum, seu internum deliberatè ponitur, debere illud referri in Deum ex affectu charitatis, seu amoris Dei casti, qui tamen amor non sit necessariò charitas strictè, & propriè dicta.*

Idem prorsus dicimus (nil aliud) in Propositione, de quâ hîc accusor; dicen-

dicendo ad hoc, ut ne quidem venialiter peccetur, necessariam esse charitatem; id est, aliquem affectum charitatis in Deum, seu affectum amoris Dei casti; quæ tamen non sit necessariò charitas strictè & propriè dicta, sive hominis cum Deo amicitia.

Neque enim tam vecordes sumus, ut dicamus, fidem informem, spem, timorem gehennæ, & alios actus, quibus peccatores utiliter disponuntur ad justitiam, & *mortuos esse dicamus, & peccati labe adspersos*; quos S. Tridentina Synodus declarat esse utiles, esse impulsus Spiritus S. disponere ad justificationis gratiam &c. Quin potius in iisdem actibus (tamen in peccatore, ac proinde sine charitate perfectâ) charitatem aliquam imperfectam, seu affectum aliquem amoris Dei casti exigimus.

Dicimus ergo dictâ Propositione, quod ut homo ne quidem venialiter delinquat, debeat actionem suam referre in Deum tamquam ultimum finem, idque per affectum aliquem saltem imperfectæ charitatis: aliàs actio erit mortua, quia defectuosa juxta dicta ad accusationem præcedentem; & peccati labe adspersa, ob defectum debitæ relationis juxta dicta ibidem.

A C C U S A T I O V.

Non indigemus gratiâ, ut orare possimus, sed ad orandum. Parte 4.
Artic. 2.
Propos. 33.
Florentius de Cocq. in principiis totius Theologiae
pag. 772.

R E S P O N S I O.

Nescio, quo studio, aut zelo accusatores nostri hanc Propositionem à cætero contextu, & sensu sejunctam & separatam accusaverint. Dico enim loco citato in hunc modum ad objectionem mihi formatam: respondeo, *non indigemus gratiâ, ut orare possimus, sed ad orandum*: & continuò subd. di. *ibid. posse enim bene agere, naturæ est hominis: bene agere autem, gratiæ est fidelium. Unde si illud, SINE GRATIA, afficiat POSSE, falsum est: etiamsi verum sit, si referatur ad ORARE, CONVERTI, quæ sine gratiâ non fiunt. Ut quid hunc contextum placuit accusatoribus nostris studiosè truncare, & omittere?*

Pateat igitur ex ipso contextu, me per *posse* hic intelligere potentiam illam remotam, qua homo naturæ rationalis per intellectum & voluntatem capax sit, & *possit* orare, *possit* credere, etiam sine gratiâ: etsi sine gratiâ oraturus sit nunquam; non secus, ac in homine agnoscenda est potentia

videndi, etiam sine lumine, seu lumine absente; etsi sine lumine nunquam sit visurus.

Docuit me doctrinam hanc S. P. Augustinus dicens c. 5. de prædestinatione SS. *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium.*

Docuit me idem Discipulus hujus S. Doctoris S. Fulgentius, qui de gratia Christi cap. 22. & 23. docet, hominem naturaliter posse credere, in eo quod naturam habet credulitatis fideique capacem; & tamen gratiæ dono credendi virtutem recipere, quam amisit. Ubi *posse credere*, naturæ tribuit: credere autem, seu *credendi virtutem* assignat gratiæ.

Et S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. docet, quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ; sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum &c. Ubi supponit S. Doctor, quod homo varia possit, & debeat, quæ tamen possit sine gratia reparante.

Est ergo in homine quoddam *posse remotum*, & quoddam *posse proximius*; quod & ipse S. Augustinus subindè insinuat: dum lib. de spiritu & lit. c. 30. docet, credere esse in potestate nostra; puta, quod homo per liberum arbitrium habeat potentiam remotam, quâ possit per gratiam deindè adjutus credere; unde illud *posse credere*, seu *posse habere fidem* alibi assignat naturæ hominum. Aliam verò potentiam proximam credendi v. g. ubique gratiæ assignat ipse gratiæ vindex acerrimus.

Potentia ergo remota de naturâ surgit, proximior surgit de gratia.

Nec est, quod Accusatores nostri (ut aliàs) nobis objiciant Concilium Trid. quod Sess. 6. Can. 3. dicit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, ac pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Non enim illud, *sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio*, afficit *posse* (remotum scilicet juxta jam dicta) sed afficit *ipsum credere, sperare, diligere, ac pœnitere*, & quidem *sicut oportet*; ut ei justificationis gratia conferatur: quod indubiè non fit, aut fieri potest sine speciali Dei gratia.

A C C U S A T I O VI.

Parte 4.
Artic. 3.
num. 16.

Omnis omninò gratia natura lapsa aliquo respectu est efficax, scilicet respectu effectûs, ad quem proximè datur: nec aliqua est merè sufficiens. Et additur ita in terminis Florentius de Cocq in principiis Theolog. pag. 368.

R E S.

R E S P O N S I O.

O Præstem hic iterum, Accusatores nostros Doctrinam hanc nostram (ut quidem ibidem ipse facio) proposuissent, ac restrinxissent: Undè cogor iteratò rem repetere.

Primò ergo probavi dictam propositionem, de qua accusor, ex famoso S. Augustini dilcimine inter gratiam hominis sani & lapsi, quo docet, gratiam hominis lapsi non dare tantum *posse agere, sed ipsum agere*: & (ut de hominibus lapsis ait S. Doctor l. de Cor. & gr. c. 11. *Hæc gratia potentior, & tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illâ, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit; nisi efficiatur, ut velit.*

2. Quia si gratia illa esset merè sufficiens, dans solummodo posse, non aliquid agere, à voluntate pendeat acceptatio gratiæ in hoc statu: quod homo erit, qui se discernet; quod negat Apostolus.

3. Addo, quod si nulla gratia ad agendum præter gratiam sufficientem sit necessaria, rogo, quâ veniat, quod ne è millibus quidem vicibus, imò nunquam, actum producat, aut producat?

Ex quibus jam indè patet, me agere contra *gratiam molinisticè sufficientem*, sive ultra quam ex parte Dei non est alia gratia necessaria ad bene agendum; sed ex voluntatis beneplacito pendeat, eam gratiam acceptando, reddere illam efficacem: quam quidem gratiam sufficientem rejicit tota Schola Augustino-Thomistica, & nos cum ipsa.

Nec etiã tam aversi sumus à gratiâ *Thomisticè sufficienti*, sed sano sensu intellectâ; puta, ultra quam ad bene agendum requiritur insuper alia gratia, qualem Thomistæ omnes exigunt: etsi cum majoribus hujus Scholæ Lovaniensis ob rei novitatem à nomine *sufficientis* (ut de illis notat D. Steyaert) meritò abstinuerim, & malim cum illis illam vocare *excitantem*.

Quod autem hæc eadem doctrina sit Scholæ Thomisticæ, declarat ejusdem Doctrinæ vindex acerrimus Thomas Lemos Panopliæ gratiæ tom. 4. l. 4. p. 2 tr. 3. cap. 7. ubi ex professo docet, & ait sub titulo Capituli: **AUXILIUM SUFFICIENS RESPECTU ALCUIUS ACTUS, SEMPER EST EFFICAX.** Et addit, quod circa hanc quæstionem, **COMMUNIS ET VERA THOMISTARUM SENTENTIA EST, QUOD OMNE AUXILIUM SUFFICIENS COMPARATIONE UNIUS ACTUS, SEMPER EST EFFICAX RATIONE ALTERIUS, AD QUEM EFFICIENDUM EX ABSOLUTO ET EFFICACI DECRETO VOLUNTATIS DIVINÆ ORDINATUR.** Eandem doctrinam aliquot exemplis ibidem declarat, & solidis rationibus confirmat.

Nec alio sensu Doctrinam illam dicto loco proposui, dum ulterius conclusionem 2. ibidem addo, & dico: *Non omnis tamen gratia medicinalis est efficax respectu omnis effectus, ad quem dirigitur talis gratia; sed solum respectu effectus, ad quem proximè à Deo datur. Hinc gratia, quæ datur à Deo in ordine ad conversionem v. g. non illam continuò efficaciter operabitur, sed aliquando efficiet aliquam boni complacentiam, voluntatem bonam, sed nondum satis robustam, quam sequatur ipsa conversio.*

Nec aliud habet expositio Doctrinæ Augustinianorum Theologorum exhibitæ Alexandro VII. & VIII., ubi articulo 2. dicitur de gratiâ illâ Thomisticè-sufficienti, quod, *quamvis gratia illa per se spectata effectum illo Careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat; & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur; adeòque falsum sit hoc sensu, omnem Christi gratiam semper habere eum effectum quem Deus vult: si tamen spectetur, ut cum absolutâ Dei voluntate conjuncta, meritò hoc sensu efficax dici potest, quia semper id in corde hominis operatur, quod Deus absolutâ voluntate intendit. Certum est enim apud Thomistas, auxilium sufficiens respectu unius actûs semper esse efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis destinatur: adeòque apud illos omnis gratia est efficax ali.ujus effectûs; ejus nimirum, ad quem proximè ordinatur, & quem Deus absolutâ voluntate intendit.*

Ex quo patet, quo sensu dixerim in propositione accusatâ, *omnem gratiam naturæ lapsæ aliquo respectu esse efficacem: insuper, nullam in hoc statu esse MERE SUFFICIENTEM; puta talem, quæ nullo respectu sit efficax; vel etiam ultra quam ad bene agendum, ex parte Dei non requiritur, alia gratia: quod hæcenus rejecit, & rejicit Schola Augustiniana & Thomistica.*

Nec est, quod hîc objiciant Accusatores, ex dictâ doctrinâ sequi, quod liberum arbitrium à Deo morum non possit dissentire, si velit, quod definiit Synodus Tridentinâ. Sess. 6. can. 4. cum (ut ibidem expressè dico) liberum arbitrium etiam à Deo motum possit gratiam abjicere, si velit; & idipsam nimis sæpè faciat: tum oculos cordis occludendo piis illustrationibus intellectu; tum repellendo pios motus voluntatis, eos motus extinguendo, nec ad perfectum consensum deducendo.

Addo etiam, nihil nobis ex illâ doctrinâ commune cum hoc Articulo in Iansenio damnato ab Ecclesiâ: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: cum (ut mox ostendi) interiori gratiæ in hoc statu sæpissimè resistatur.*

CONCLUSIO.

HÆc sunt, quæ ad accusationes mihi objectas modò respondere placuit; ut pateat, quo merito & zelo accusatores nostri, nos signanter hic accusent, studioso silentio prætermiſſis illis, qui easdem opiniones constantius, & operosius hic palam propugnant. Non quasi illorum Societate, aut sorte causam meam tuendam esse censeam: sed solummodo, ut palam fiat (aliàs apertum satis) quanto partium studio Accusatores nostri laborent in accusando.

Liceat tamen & nobis unicum hinc admonere, scilicet jam dudum aliquos sub larva Baii, & Jansenii, doctrinam de gratiâ per se efficaci; doctrinam, inquam, Scholæ Augustinianæ & Thomisticæ præcipuam, ac fundamentalem, impugnasse. Notarunt id jam pridem ante nos Doctores Salmanticenses in suo cursu Theolog. tom. 5. tract. 14. q. cx1. Disp. 6. de gratia efficaci. Dub. 1. §. v. num. 32. ubi aiunt de Ripalda Soc. Jesu in hoc modum: *Ex Molinistis agit contra Jansenium Ripalda: at hic auctor post prolixum laborem nil contra Jansenium in hac parte concludit. Non enim impugnat differentiam ab eo assertam, nempe gratiam status Innocentiæ esse ex se indifferentem, gratiam verò hujus status esse ex se efficacem: sed ailo prorsus diverſit totos nervos intendens, ut gratiam per se efficacem demetat. In quo quamvis satis callidè se gerat, impugnans sub Baianorum larva Thomistas: egit tamen inutiliter, ne dicam infeliciter. . . . sententia quippe, quæ auxilia per se & ex se efficacia depredicat, certissima est, & Communis inter D. Aug. & D. Thomæ discipulos, utpote qui Augustinum habent patronum, & Pelagianos ac semipelagianos, & eorum reliquias proſternit. Unde Innocentius X. post editam adversus V. Jansenii Propositiones Constitutionem, semel & iterum declaravit se minimè intendisse Doctrinam de Gratia per se efficace, directè vel indirectè attingere: ediditque circa hoc speciale decretum in Congregatione generali S. Inquisitionis habita die 23. Aprilis 1654.*

Et hic quidem id attentavit contra gratiam per se efficacem occulto, & (ut illi DD. aiunt) callido Marte: sed alii id attentarunt aperto; inter quos P. Honoratus Fabri, cujus hæc est sententia in terminis, quam habet in Præfatione ad Lectorem: *Dico eandem esse gratiam efficacem prædeterminantium, Jansenii, & Calvinii, id est, efficacem intrinsecè.* Quam quidem opinionem tamquam toti Scholæ Augustinianæ ac Thomisticæ, adversariam, majori jure accusare poterant Accusatores nostri, nisi partium studio, hanc & alias similes declinassent.

Ut interim constet, quia reverentiâ, & quo studio Ordo noster Præ-


mon-


monstratensis in Belgio, & S. Sedis auctoritatem, & S. P. N. Augustini dogmata *inconcussa ac tutissima* prosequatur; addere lubet statutum Ordinis nostri Anno 1643, Datum Lectoribus S. Theologiæ, & hæcenus observatum, quod sic habet: *Porro, in materiâ de gratiâ omnes humillimi P. S. Augustini sententiam sequantur, & ab eâ (quoadusque aliud definerit Ecclesia) nullâ ratione develli se patiantur, nedum plus naturæ viribus, & minus gratiæ tribuunt, quam oportet, à gratiâ deserantur: & in se stantes non stent; sed spiritu veræ humilitatis vacui turpiter labantur.*


Notent hoc ii, qui lugillare pergunt, nos bullas Pontificias non morari, sed solummodo putandum, quod quidpiam in S. Augustino invenerimus, ut fundatum, & alia nobis objecta. Attendant, inquam, quid statuatur, & sequamur, scilicet, S. Augustini dogmata, juxta Pontificia oracula *inconcussa & tutissima*, in materiâ de gratiâ constanter docenda; sed, *quoadusque aliter definerit Ecclesia*; cujus judicio nos submittemus alacriter; & si nos aliter erudire dignata sit, confitebimur nos homines, id est, errori obnoxios fuisse, scientes ex S. Augustino lib. 3. Crescon. c. 3. quod sententiam falsam numquam tenere, prima laus sit; secunda, mutare.


Denique concludo cum Doctore Angelico dicentē 2. 2. q. 11. art. 2. Quod contra Summi Pontificis auctoritatem, *nec Hieronimus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde Hieronimus ad Damasum Papam (& nos cum ipso) hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua, si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, Emendari cupimus à te, qui Petri Fidem & Sedem tenes. Si autem hæc nostra Confessio Apostolatus tui judicio comprobatur: quicumque me culpæ voluerit, se imperitum, vel malevolum, non me hæreticum comprobabit.*

F I N I S.











Respo
siones
Fidei

I. 10

101

12